



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 122. Legatio Cardinalis Aquilejensis in Germaniam

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Sæcul. XV.
A.C. 1472.

§. CXXII.

Legatio Cardinalis Aquilejensis in Germaniam.

Anno 1472. Ineunte hoc Anno millesimo quadringentesimo septuagesimo secundo Legati, quos Papa ad Christianos Principes in negotio belli Turcici decreverat, iter aggressi sunt. Hos inter præcipuus Cardinalis Aquilejensis die vigesima secunda Februarii Roma discessit, acceptis a Pontifice mandatis, in Germaniam contenderet, & Fridericum Imperatorem hortaretur, ut se Ecclesiæ Romanæ Advocatum, & Reipublicæ Christianæ Defensorem esse recordaretur, ac propterea arma contra Turcam caperet, denique Reges Poloniæ atque Hungariæ de regno Bohemiæ contententes ad concordiam revocare conaretur, quantum salva Romanæ Ecclesiæ, & Majestatis Imperialis dignitate valeret. Præterea Aquilejensi datum est negotium, ut Matthiam Hungariæ Regem moneret, ne desertum se iri a Sede Apostolica, atque Imperatore timeret, cum ab eisdem ad bellum contra Bohemos excitatus fuisset, nec Sedes Apostolica electionem Ladislai a Bohemis factam approbasset: Dum vero procliviores videbantur Bohemi, ut Regis Poloni filium sibi in Regem acceptarent,

*Papienf.
epist. 463. &
440.*

ptarent, hinc injunctum est legato, ut Pontificis nomine Matthiam Regem induceret ad ineundam cum Polono pacem, quam Papæ & Imperatoris arbitrio relinqueret, spe facta, curaturum utrumque, ut intestini motus sedarentur.

Sæcul. XV.

A.C. 1472.

§. CXXIII.

*Ejusdem Legatio ad Regem
Poloniæ.*

Eidem quoque Pontifex in mandatis dederat, ut Casimiro Poloniæ Regi hæc exponeret: Rege Catholico indignum est, ut Bohemiæ Regnum, ad quod capessendum a Sede Apostolica tanto tempore invitatus fuerat, adeo pertinaciter acceptare recusasset: nunc vero filium suum hæreticis petentibus in Regem concedere non abhorreret, simulque bellum Matthiæ denunciaret, quamvis ille Rex Catholicus, & Princeps longo rerum usu atque experientia præditus esset, necnon cum Bohemorum genio longe melius conveniret. Proin satius foret, ut ex filiabus suis unam Matthiæ nuptui daret, hacque via Bohemiæ Regnum ad liberos, qui ex hoc connubio susciperentur, vel deficientibus posteris ad Polonos devolveretur. Postea Legato injunctum, si forte Poloniæ Rex conditionibus adeo justis æque ac honestis acquiescere renueret,

Bzov. annal.

Eccles. ad

an. 1472.